Barlaeo, fortassis
A° 1626. aut 1627.
S. P.

19

(7)

Quae tua vel meritos afflixit pagina tornos
Et nimis innocuum saeva momordit opus
Ut poteris placuisse minus, Barlaee timebis
Posse simul doctos non placuisse sales?

Confundis argumenta rerum, et iniquè suspicaris, nescire me in familiari talium amicorum alloquio, minus quid dicam respiciendum illud esse, quam illud, quod concinnè dicant et eruditè. Si quid seriò a Te proferri dubitassem, cùm in corpusculi hujus exercitia, et animi utique diverticula, tanto impetu invectus es, crede, non usque adeo impunè tulisses, quin aliquid subitò reposuissem, quo et offensam resciuisses, et facile mechanica illa mea probari scivisses rigidissimo morum meorum Catoni. Nunc si silentii caussam, ultrà quam poeticè ignoras scito hanc de praecipuis fuisse, ut ne cessares increpare, sin παῤῥησίαν mihi quoque indulges, ut ex insano insaniorem facerem. quod hactenus a te dissimulatum, sciebam non posse nisi in solennem tibi furorem erumpere, ita jam profligato pudore omni impudentiam apud te in lucro posui, non magis facilè quam eleganter insurgunt quam detumescunt. Summa rei, Barlaee doctissime. sileo, ut qui saepissimè compellor. Fatebor nihilominus in animo responsionem fuisse ad acerbulas illas tuas ~~ar~~ et argumento ut tum animus ferebat jucundè philosophico, Jamque adeo δεινὰ περὶ φαχῆς conceperam. Ex praescripto Scaligeri Patris, quem nescio ubi contra Cardanum in hunc offensum argutari subierat, nihil de suo artificem ad Statuam conferre, quam quod resectis superfluis in caussâ quodammodo esset, cur talis illa egrederetur. (senties non me meminisse loci, ex eo quod multum a summi viri verbis ista discrepant.) Ibi tum artis meae (quando ita vis) dignitatem, efferre gestiebam, ut quae nucleos, id est ipsam veritatem rerum ablato naturae putamine, suâ industriâ exhiberet meliore longè instituto, quam quo perniciosa terrae viscera malorum irritamenta, insatiabile genus mortalium exenteramus. Hac obiter materiâ digestâ, caeperam stilo neutiquam pedestri intonare, et jam heroicis aliquot in te saevitum erat, cum ita me ament Musae, magno meo infortunio, utcumque dispendio non gravi, vel ereptas mihi schedas meas, vel imprudenter amissas, aliquot dierum interposito spatio ~~[illegible]~~ comperi. ut ferè carptim ad haec studia admittor

admittor, intercurrente identidem molestissimâ rerum discrepantiâ. Tu capiti tuo gratulare, et bono evento (si diis placet et Prisciano) qui illam a Te calamitatem avertit. Mihi et argumenti allubentiâ et principii non poenitendo cum ~~eventu~~ successu illecto, meus dolor incumbit, qui insignem vindictae occasionem amiserim. Nam ad bonitum certè redeundi, praetereà quod id moris meâ non est neque ingenij facilè sibi infensi, ab illo tempore otium vix fuit, neque, ut fatear, fiducias quidem restituendi satis exactè, quod quamquam felicissimo primo impetu egisse. Ergo et hanc etiam inter silendi causas habe-ram. Inter autem affectus ~~tamen~~ erga te mihi praecipuas et aeternas, egregiam eruditionem tuam, et nobilissimum carmen, cujus ultimo carmine jucundissimum hercle dedisti documentum. Vale, et ubi commodum erit, subinde mecum communica, quod circa humaniorum litterarum studia quotidie vel joco tibi vel serio agitantur, cum possis rem facere gratiorem

Non si praecipiti dicas convitia torno.
Aut scalpris moneas bella disertta meis.

Accepi ultimas tuas, biduo postquam scriptae fuerunt, ea aurigarum fides est.

C. Hugenius.

(80).

Barlaeo

Pyxidem istam Barlaee doctissime, in quâ Τὸ Βασιλικὸν Δῶρον invenies, quale unâ cum literis hisce Oldesworthi et alteris Anglicani, alterius amici circa personam Regiam, quem ejusdem juris participem feceram, Illustrissimus Carletonius tradi curavit, servare apud me ultra tridu-um non potui, ne meâ quoque culpâ prorogaretur longior ista quam par fuit procrastinatio, neque non quod factum ~~est~~ a benignissimo Rege videtur, cum meâ in manu erat tarditatem Gravitate muneris compen-sare. Tu scire audis post Comitem Pembrociae, summum nunc dapiferum, Oldesworthio gratiarum actionem ante omnia literis testari ne omittes. Nec meâ quidem sen-tentiâ Carletonium rectè neglexeris. Me quod attinet feceris rem gratissimam, si vulgari istas omninò non omninò non sieveris. Fieri possit ut tam bono exemplo alii eodem ferantur et in re simili paratam operam a me expectent. At ego pleno omnibus ore indico, nulli me